

Sigismundus primus rex Poloniae, Mathiae
Drzewicki archiepiscopo Gnesnensi.

117

Antequam discussisset magnificus Hiero-
nymus de Lasko palatinus Sivadiensis, con-
venit nos aliquoties cum generoso Staniz-
slao fratre suo, et declaravit nobis pater-
nitatem vestram hac mente et animo esse,
ut ea quae reverendissimus dominus Joan-
nes archiepiscopus, paternitatis vestrae prae-
decessor, et pater illorum, in oppido Las-
sko ex proventibus certorum sacerdotiorum
fundavit et erexit, rescindantur et irrita
fiant, utque illa sicut summi pontificis,
aut eius sanctitatis legati confirmatione
roborata, supplicans nobis, ut scriptis nostris
paternitatem vestram ab hoc instituto re-
vocavimus, et simul efficeremus consilio
vel auctoritate nostra, ne quid praedicti
actis demortui domini archiepiscopi prae-
dicti afferatur. In qua re, cum et nos ipsi
hoc ad equitatem et officium paternitatis ve-
strae pertinere iudicemus, ut acta praedecessoribus
suis, quae approbatione sedis apostolica sunt fir-
mata, servet et teneatur; illam hortamur, et unam
ab illa postulamus, ut cum ipso domino pa-
latino et fratribus eius ita de omnibus
componat et transigat, ne deinceps occasio-
nem vel de paternitate vestra conquerendi,

vel

vel negotium ad nos referendi habeat. Que
bene valeat. Datum Cracovie die sexta Maij
anno Domini millesimo quingentesimo tri-
gesimo secundo.